

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 17.

Elystum-Menm. Die Martis .20. Mar. 1810. (Neov. 2. Mart. 1810.)

De adumbratione alicujus Status & ex ea promanante Utilitate.

Nonnullae Animadversiones.

Adumbratio, descriptioque Regni quot annis in Anglia per Ministros Conventui Statuum subterni debuit. Est hæc basis Anglicanæ Constitutionis politicæ, pretiosissimus unio nationis, in quo responsionis oneri subsunt.

Hoc politicum axioma Angliæ soli proprium erat, in aliis Statibus arcanum tenebatur. Primus erat Cel. Neckerus, quid id genus descriptionem in suis præstitis rationibus (Comptu rendu) Gallicæ nationi proposuit. Hodie id in Gallia de communi ordine est.

In hoc argumento excellens quidam auctor novissime mentem suam explicuit, & sequentia animadvertit :

Inter complura eximia, præclaraque politicæ, publicæque administrationis Institututa, que auctore Consule primo, tum Imperatore Napoleone excitata esse nemo, partium studio alienus, inficiabitur, id præcipua ætimatione dignum videtur: Conventui nationali (representantibus) & per eum nationi per Mini-

strum Status interni Summariū de eo proponatur, quid decursu anni a regimine ad obtinendum finem Civitatis in externi & interni status ratione præstitum, quisque effectus impensæ operæ secutus sit; hoc institutum plus viâ simplici ratione commendandum est. Etenim majore, quam ullo alio incitamento efficitur diversis publicæ administrationis Collegiis, atque magis quam ullum aliud medium confert ad excitandum, & custodiendam æstimationem, fiduciamque publicam. Una suppeditat Historiæ Statuum argumenta (materialia) quæ alias raro admodum obtinet, quæ tamen habere debet, ut id sit & præstet, quod ab ea de jure exigitur.

In Ducatu quoque Nassoviensi anno superiore descriptio adjunctorum provinciæ in lucem prodit, quæ adjunctis ita urgentibus cordi habeatur, digna est.

In Gallia quævis momentosa rerum eventa solemnī ratione peraguntur. Ita factum est, ut 24 Febr. pax inter Galliam & Sveciam in quibusvis præcipuis Imperii partibus solemnī ritu promulgetur. Faciales (Heroldi) 24 arbitris pacis comitantibus, in foris urbis præcipuis pacis Tractatum prælegerunt, secundum quem Svecia Systemati Continentali subscribit. Anglos quibusvis Commerciis excludit, atque Pomeraniam Svecicam recipit, Gallia vadimonium (Guarantiam) præbet ditiones Svecicas, ut hodie constat, custoditum iri, Commerciumque inter utrumque Statum eadem ratione, qua fuit ante bellum postliminio re vehitur.

Uberioribus politicis novitatibus hæc accedunt.

Hannovera die 20. Febr. Deputati die 18. h. m. isthinc profecti, hesterno reversi quod Cursor Cassela eorum itineri intercesserit. Cæterum rumor per id ortus nequaquam confirmatur, quasi Unio incorporativa provinciæ nostræ prorogata sit.

Continuo fertur: secundum initas rationes 30,000 Gallicoarum Copiarum in hac provincia hyberna actura, in quem finem 6 legiones loricatorum adhuc expectantur.

Stuttgarda 27. Febr. Dignata est Sua Maj. præhabitas cum Cæsareo Regia aula Austriacæ relationes restitutura actualem Secretarium Consiliarium & Supremum Cameræ Præsidentem C. a Beroldingen suum extra ordinem plena rerum gerendarum potestate instructum legatum ad memoratam aulam elementer denominare, quo factò Sua Cæsareo Regia Maj. vigora perceptæ a Cæsareo Austriæ neg. ext. Ministro C. a Metternich annunciationis, C. a Crumpipen in eodem Characterere ad hanc aulam denominare elementissime dignata est.

Mankemio die d. Martii. Herl pridie utpote Calendas Martias Sua Maj. Regina Bavarie Monachium Bruch:alia iter ingressa est. Nocte intra 27. & 28. Febr. pars commectus Serenissimi Principis Neocom. & Vagram. Kehlram transiit Vindobonam petens. Princeps 12 horis serius adventurus ferebatur. Itineratur 11 Curribus, egetque in oma po-

stali statione 52 equis. Pars Comitatus Kehl-
lam jam prætergressa, constat uno Carpento
recipiendis itinerariis impedimentis apto, 4
carpentis cum adjutoribus, 1 Curru, ad ma-
gistrum libellorum D. Delaborde pertinentē.
Altera pars itinerarii agminis constat Curso-
re, uno curru semitecto, quo continetur fa-
militium Principis, altero æque semi tecto
Principis & tertio eiusdem spatiei pro adju-
toribus, una porro rheda pro servis.

Petropoli 2. Febr. Ephemerides aulicæ no-
stræ annunciant discessum Ducis a Mondra-
gon Camearii S. M. Regis V. Siciliæ & ex-
tra ordinem legati hujus Imperantis ad huius-
tem aulam. — Eaedem paginæ adjuncta de-
scribunt munimenti Poti expugnationis.

Mediolano die 18. Febr. Hodie matutino
tempore salutationes ex bellicis machinis fan-
stum adventum Cæsarei Serenissimi Principis
Proregis Italiæ in hanc metropolem indicabant.

Parisiis die 25. Febr. Decreto de 24. Maj.
Cæsarea definivit aulam Imperatriæ constan-
tem seqv. personis.

Primus Eleemosinarius D. Archi Episco-
pus Ferdinandus a Rohan.

Astrona honoraria Domina Dux de Mon-
tebello.

Suprema Cæmeraria Domina C. a Lucay.
Aulicus Cavallerus: D. Senator C. a Beau-
harnois.

Primus Stabuli Magister: Princeps Al-
dobrandini.

Dominae Palatii Dux a Cassano. Comes
 Domina Montemart, Domina Dux a Rovigo
 C. a Monte Mauriaco (Montmorence) C. a
 Talbouet. Dna C. a Lauriston, D. C. a
 Duchatel, C. a Bouille, C. a Montaliver, C.
 a Petron, C. Lascaris de Vintimille C. a Bri-
 gnol, C. Gentile & Canisy.

Hodie finito Sacro Missæ personæ au-
 lam Imperatrici constituturæ Jusjurandum
 edendi causa præsentabuntur, quod in ma-
 nus Imperatoris nuncupabunt.

In edito per Monitorem nudius tertius
 de Jactura Anglorum in Insula Valohria nun-
 cio in cæteris habetur: hostem mensibus Au-
 gusto, & Septembri 16900 ægrotos, e qui-
 bus 9500 mortui, numerasse, ex 5500 ægris
 Angliam repotentibus 3000 tempore traje-
 ctionis, & primis adventus diebus vita dece-
 sisse, præterea 3—400 viros ad Vlissingam
 gecubuisse.

Composito 23. Febr. Brixia tranquillitatem ma-
 ximam adferentes percipiuntur nuncii de ra-
 tione, qua Regiæ copiæ exceptæ sunt. Pau-
 cis adhuc ante diebus in Urbe Betzen fer-
 vidus affecta Kolbii quidam caupo Brixensis
 a Gallico Tribunali mortis damnatus, & plum-
 bea glande trajectus est. Cum is vir admo-
 dum opulentus (ejus opes ad 60000 Fl. æsti-
 mantur) & magnæ fidei apud Colonos fue-
 rit, hæc sententia agit magnopere in animos.

Dresdas die 15. Febr. Cursor Berolinum
 Vindobona isthac profectus memorabile adfe-
 rebat nuncium, inter Russiam, & Portam Ot-

tomannicam Inducias initas esse, atque utramque potentiam intermediationem Imperatoris Napoleonis acceptasse. Additur: Anglicanum Legatum D. Adair Constantinopoli in Sielliam abiivisse, hoo nuncium ex die 15 usque hodiernum confirmatum non est; Gallicæ quoque pagine nullam de eo mentionem faciunt, quod profecto fecissent, cum Gallia in hoc negotio præcipuam partem habere memoretur.

Petropoli die 7. Febr. D. Gen. Dux legionis pedestris Bacleay de Tolly minister rellicæ creatus est.

Cras Cæs. Regius Legatus isthio residens Dux Vicentiæ larvatas edet Choreas-Illustrissimæ familiæ ex nobilitate & mercatorio Statu ad eas invitatae sunt.

Inpedito de præsentî Commercio industria interna Imperii luculente proficit. Ultra 100 familiæ panificam ex brevi tempore ex Silesia & Saxonia ad australes Imperii provincias migrarunt. Lana quoque ovium continuo proficitur. Plures habentur Ovium Culturæ hispanicæ originis, quarum aliqua jam 1000 amplius frusta numerant.

Secretus Consiliarius & Senator Demitrian minister Justitiæ creatus est.

Parisis 26. Febr. Heri Majestas Imperator & Rex in palatio Tuilliarum distinctis vicibus legatos Sveciæ & Borussiæ DD. Barones Lagerbielke & Krusenmark excepit. His decedentibus D. Baro Lagerbielke rursus Conclave Imperatoris repositus, Excell. Dnus Ba-

to cum C. ab Essen ingressus Imperatori litteras regis sui, Insigniaque Ordinis Seraphini tradidit, quæ Casari offerendi mandatum habuit.

Bruxellis 14. Febr. Nullo unquam tempore Cursorum Commereium Galliam inter & Hollandiam frequentius erat quam de præsentis. Heri 5. matutina Cursor Parisiis in Hollandiam citato isthac Cursu prætervectus est. Heri meridiano tempore successivis vicibus 3 diversi Cursores omnes in Hollandiam properarunt, hora pomerid. 4. rursus alius comparuit a Rege in Hollandiam expeditus isthac prætervectus.

Fabricans Candelarum *Bonmoti* Parisiis sebum a sordibus repurgare tam dextre novit, ut semi pellucidum, perfecte siccum, sonorumque reddatur. Conficit is Candelas paullo cariore pretio vulgaribus, at quæ elegantiori albedine, luminis puritate, & quod omni fumo careant, eamque commoditatem præstent, quod raro fuligo detergi debeat, se comedant.

Principes, Comites, Domini, Regni Wüttemberg. deinceps 3 mensibus intra annum Stuttgartardæ commorandum habebunt, reliquam anni partem in prædiis suis exigere poterunt.

Caesareo Regia Austriaca & a Gallico Imperatore denominata Commissio litarum ordinandorum, cui postrema Gen. agminis Dux a Pernethi, & Colonellus a Seiffer præsuat, jam partem Austriacæ Superioris Pæce Viadobonensi cedendam definiit, & 300

palis metalibus seu terminis usque Salisburgi provinciam denotavit; in quorum altera parte Foedus Rhenanum, altera Austria legitur. Territorium hoc supra Onasum, cum Salisburgo, & Bertholsgada continet Circiter $\frac{1}{2}$ millionum Incolarum, & 270 quadr. millia superficis geographica; ex qua Quadrans Oceanus maxime fertilis est, & censet 150000 jugera araturae capacia.

Rufficus Officialis die 20 h. per Francosurtum Parisios tendit, ac ferens chyrographum Imperatoris Alexandri ad Napoleonem; die 8. Febr. nihil adhuc constabat Petropoli de oraculo quod 11. Jan. locum habuisse praetenditur ad Bessarabam. & secutam die 14. Jan. occupationem Silitriae.

In Genealogica descriptione Austriacae Domus Patricinae paginae hodie regnantem Imperatorem Franciscum secundum adpellant, quamvis in serie Germanicorum Imperatorum hunc numerum teneat, in exordio Austriaci Imperii primus Imperator consequenter & Franciscus primus est,

Amstelodamo die 26. Feb. Litterae Parisiis de 21. h. continuo prospera annuanciant, regis nostri valetudinem in melius mutari indicant.

palis metalibus seu terminis usque Salisburgi provinciam denotavit; in quorum altera parte Foedus Rhenanum, altera Austria legitur. Territorium hoc supra Onasum, cum Salisburgo, & Bertholsgada continet Circiter $\frac{1}{2}$ millionum Incolarum, & 270 quadr. milliarum superficie geographica; ex qua Quadrans Oceanus maxime fertilis est, & censet 150000 jugera araturae capacia.

Rufficus Officialis die 20 h. per Francofurtum Parisios tendit, ac ferens obyrographum Imperatoris Alexandri ad Napoleonem; die 8. Febr. nihil adhuc constabat Petropoli de proelio quod 11. Jan. locum habuisse praetenditur ad Bessarabam. & secutam die 14. Jan. occupationem Siliatiae.

In Genealogica descriptione Austriae Demus Parisinae paginas hodie regnantem Imperatorem Franciscum secundum adpellant, quamvis in serie Germanicorum Imperatorum hunc numerum tenent, in exordio Austriaci Imperii primus Imperator consequenter & Franciscus primus est;

Amstelodamo die 26. Feb. Litterae Parisienses de 21. h. continuo prospera annunciant, regis nostri valetudinem in melius mutari indicant.